

tuit non mihi aridere praetens de CLERICO PERCVSSORE (titulo ex Sacris Pandectis & Jure Canonico desumpto) materia. Non quidem, quod eam digne me retractare posse confidam : hoc enim & ingenii mei imbecillitas & nimia temporis angustia vetat ; sed ut Venerabilis Domini Praesidis mei consilio auxilioque adiutus tum in sacratori hoc studio , tum in disputando me exerceam. Fundamenti loco toti dissertationi substernemus verba illa Pauli, 1. Tim. III. 3. & Tit. I. 7. occurrentia: *δια τὸν Ἐπίσκοπον μηνίαν πλήκτω.* Methodum autem quod attinet, primum singula textus verba, quantum fieri poterit, philologice considerabimus, deinde de yitio Episcopo fugiendo dicemus & denique nonnullas quaestiones , ad totius rei illustrationem facientes , adiiciemus. Fauxit Deus , ut omnia feliciter procedant!

§. 2. Cum igitur ante omnia in verbis textus Paulini paulo accuratius inquirere animus sit , primum considerationi nostrae sese offert vox *Episcopus* , in qua , quantum breviter fieri poterit, videndum erit , tam quid denotet ratione *originis* , quam quid significet ratione *usurpationis*.

§. 3. Prius quidem quod attinet, opus non est, ut ei diu immoremur , cum vel pueris notum sit, vocem *Πρύτανον* descendere ex verbo *πρύτανες* , vel quod nonnullis placet, ex verbo *πρύτανέπομπαι* , composito ex *πρύται* super & *πομπαι* visito, inspicio, contemplo, lustro. Vel etiam haec vox deriuari posse videtur ex *πρύται* & *προμηται* speculator, inspecto. Ut igitur Episcopus nihil aliud sit, quam inspecto siue Superintendens alicuius rei , vel cuius commissa est cura & officium alicuius negotii, siue Politici siue Ecclesiastici. (a) *Nomen Episcopi enim*, inquit Augustinus , (b) *est nomen operis, non honoris, Πρύτανον*, si velim, latine *Superintendere possumus dicere.*

§. 4. Ad posterius autem quod pertinet , aliter hac voce usi sunt Apostoli in Scriptura Sacra , aliter eam accipiunt Pontificii , & aliter denique eam usurparunt veteres gentes. Sic enim (ut de ultimis primo loco dicam) Athenienses illos, qui cum imperio pere-

gre

(a) *Vid. Eduardus Leighius in Crit. sac. N. T. p. 242;* (b) *I. 5. Opp. L. 19 de C. D. c. 19. f. 1177ⁱ*

Vocis Epi-
scopi Ety-
mologia

Uetus

Apud Vere-
des gentes